

www.e-rara.ch

Sibylliakoi Chrēsmoi ... =

Opsopäus, Johannes

Amstelodami, 1689

Stiftung der Werke von C.G.Jung, Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-10751>

Ad calcem sequentia pro Sibyllinis in veteribus membranis cl. v. Joann. Nicotii exhibita, & venerab. Bedae à nonnullis adscripta, addere, libuit, ne quid scientes praetermisisse videremur.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

AD CALCEM SEQUENTIA PRO:
SIBYLLINIS

In veteribus membranis cl. v. Joann. Nicotii exhibita, & venerab. Bedæ à nonnullis adscripta, addere, libuit, ne quid scientes prætermisisse videremur.

Sibylle generaliter omnes famine dicuntur prophetantes, quæ ob Divinam voluntatem omnibus interpretari, & ventura pronunciare solebant. Tradunt autem doctissimi auctores, decem fuisse Sibyllas quarum prima Persis: secunda Libyca: tertia, Delphica, quæ ante Trojana bella vaticinata est: quarta, Cumæa, in Italia: quinta, Erythræa, in Babylonia orta, dicta Erythræa ab insula, in qua ejus dicta sunt carmina: sexta, Samiana, à Samo flumine Beneventano vocata: septima Amalthæa vel Cumana: octava, Hellepontica: nona, Phrygia: decima, Tiburtina Græcè, Albunea Latine vocatur: ex cujus carminibus multa de Deo & Christo scripta continentur. Fuit igitur hæc Sibylla Priamidis Regis filia, & ex matre Hecuba procreata. Vocata est autem Græco Tiburtina: Latine vero Albunea nomine vel Cassandra. Vixit annos CC. & usque in diem mortis suæ semper virginitatem custodivit, & illa circuiens diversas provincias ut partes orbis, prædicavit Asiam, Macedoniam, Erostachiam, Agægus deam, Ciliciam, Pamphiliam, & Galatiam. Quumque mundi partes vaticiniis suis repletset, inde venit Ægyptum, Æthiopiam, Bragadam, Babyloniam, Aphricam Libyam, Pentapolim, Mauritaniam, & Palatinum. In omnes has provincias prædicavit, & spiritu Prophetiæ repleta prophetavit bonis bona, malis mala. Scimus namque quæ in præconiis suis annuntiavit, & quæ in novissimis erant ventura prædixit. Audientes igitur famam ejus Romani, statim nunciaverunt in conspectu Senatorum. Mittentes ergo Senatores legatos ad eam, fecerunt ipsam cum magno honore deduci Romam. Centum igitur viri ex Senatu Romano, somnium in una nocte viderunt singuli, videbant singuli quod novem soles essent in celo, qui sigillatim divisi, diversas in se figuras habebant. Primus sol erat splendidus & fulgens super omnem terram. Secundus sol splendidior, & magnus atbeream habens claritatem. Tertius sol sanguineo colore flammiger, igneus & terribilis, ac demum splendidus satis. Quartus sol sanguineus, rubicundior tertio, ex quo vitra erant

in meridie radio radiante. Quintus sol erat tenebrosus, sanguineus, & lampades sicut in tonitru, tenebras emittens. Sextus sol tenebrosus nimis, habebat aculeum sicut scorpio. Septimus vero sol terribilis erat, & sanguinem tetrum habens, in medio gladium. Octavus autem sol erat effusus, sanguineum habens colorem in medio. Nonus sol erat nimis tenebrosus, unum tamen habens radium fulgentem. Quumque Romam ingressa esset Sibylla, videntes eam cives Romani, admirabantur nimiam pulchritudinem ejus: erat enim venusto aspectu, decora vultu, eloquens in verbis, atque Dei pulchritudine satis bene composita, suis auditoribus dulce praebebat eloquium. Venientes autem viri qui somnia viderant, dicunt ad eam: Magistra & Domina, quam magnus decor est corporis tui, qualem nunquam in feminis praeter te vidimus. Precamur ut somnium, quod omnes nos in una nocte vidimus, quid futurum praemonstret aperias. Respondens Sibylla dixit ad eos: Non est aequum in hoc loco stercoribus pleno, & diversis contaminatibus polluto, sacramentum hujus visionis detegere. Sed venite, ascendamus ad Aventinum montem, & ibi adnunciabo vobis quae ventura sunt civibus Romanis. Et fecerunt ut dixit. Quos interrogavit: & illi visionem quam viderant narraverunt ei. At illa dixit ad eos: Novem soles quos vidistis omnes futuras generationes praesignant. Quod vero dissimiles eos vidistis, dissimilis erit vita in filiis hominum. Primus autem sol, prima generatio est. Erunt homines simplices & clari, amatores libertatis, veraces, mansueti, benigni, consolatores pauperum, & satis sapientes. Secundus autem sol, secunda generatio est, in qua erunt homines splendide viventes, crescentes multum, Deum colentes, sine malitia conversantes in terra. Tertius vero sol, tertia generatio est, in qua exurget gens contra gentem, & erunt pugnae multae Romanis. Quartus autem sol, quarta generatio est, in qua erunt homines quod verum est abnegantes. Et in diebus illis exurget mulier a meridiano de stirpe Hebraeorum nomine M. habens sponsum nomine I. & procreabunt ex ea sine commixtione viri, de Spiritu Sancto, nomine Jesus: & ipsa erit virgo ante partum, & virgo post partum: qui ergo ex ea nascetur, erit verus homo, sicut omnes Prophetae praedicaverunt; adimplebitque legem Hebraeorum, & adjunget sua propria insimul, & permanebit regnum ejus in secula seculorum. Nascente autem eo, exercitus Angelorum a dextris & a sinistris erunt, dicentes: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonae voluntatis. Veniet namque vox super eum, dicens: Hic est filius meus dilectus, ipsum audite. Erant ibi ex sacerdotibus Hebraeorum, qui audientes haec verba, indignati dixerunt

ad eam. Ista verba terribilia sunt sileat hæc regina. Respondens Sibylla, dixit eis: O Judæi, necesse est ista fieri, sed vos non credetis in eum. Dixeruntque: Nos non credemus, quia verbum & testamentum dedit Deus Patribus nostris, & non auferet manum suam à nobis. Respondit eis iterum: Deus cæli sibi generaturus est filium, ut scriptum est: qui similis erit patri suo, & postea ut infans per ætates crescat, & insurgent Reges in eum, & Principes terræ. In diebus illis erit Casari Augusto celebre nomen, & regnabit in Roma, & subjiciet omnem terram sibi. Non multi, vel non pauci: non tres, neque duo sunt dii, sed unus Deus, solus & immensus, qui fecit cælum, solem, stellas, & lunam, frugiferamque terram & mare. Qui autem illum honorant, æternam vitam hæreditabunt, perpetuum cuius ipsi hæreditabunt paradysum. Mortuorum vero simul resurrectio erit, & claudorum cursus velocissimus erit: surdi audient, & cæci videbunt: non loquentes, loquentur. Ex quinque panibus quinque millia hominum saturabit, & colligentur reliquie fragminum duodecim cophini, exinde replebunt in specie populorum. Ventos compefcens verbo, mare calcans, ambulans super undas, infirmitates omnibus solvet: surgere faciet mortuos, repellens multos dolores: & de pane uno, saturatio erit virorum. Sed cum omnia fuerint perfecta quæ dixi, in ipso omnis resolvetur lex, & impias manus infidelium postea inveniet. Post hæc convenient sacerdotes Hebræorum contra Jesum, quia multa signa faciet, comprehendentque, tum dabunt Deo alapas manibus incestis, & in vultu sacro expuent venenata sputa. Dabit vero ad verbera sanctum dorsum simpliciter, & colaphos accipiet: tacebit, ne quis agnoscat unde verbum venit: corona spinea coronabitur: ad cibum autem fel, & ad sitim acetum dabunt, & suspendent eum in ligno, & occident. Templi vero velum scindetur in medium, & dies erit tenebrosus per horas sex, & sortem mortis finiet tribus diebus somno suscepto, & tunc ab inferis regressus ad lucem veniet. Et nihil valebit eis, quia die tertia resurget, & ostendet se discipulis suis, & ipsis videntibus in cælum ascendet, & regni ejus non erit finis. Dicunt me Judæi insanam & mendacem Sibyllam: quum autem facta fuerint omnia, tunc demum reminiscuntur mei, & nullus postea me dicet insanam, sed Dei magnam Sibyllam. Dixitque principibus Romanorum: Quintus autem sol, quinta generatio est. Eliget sibi Jesus duos piscatores de Galilæa, & leges suas docebit eos, dicens: Ite, & doctrinam quam accepistis à me, docete omnes gentes, & per septuaginta & duas linguas subjicientur omnes nationes. Sextus autem sol sexta generatio,

est, & expugnabunt istam civitatem annos tres & menses sex. Septimus vero sol septima generatio est. Et exurgent duo Reges, & multas facient persequutiones in terra Hebræorum propter Dominum. Octavus autem sol octava erit generatio, & in desertatione erit Roma, & propugnantes ululabunt in tribulationibus & doloribus dicentes, Putas ne periemus. Nonus autem sol, nona generatio est. Et exurgent Principes Romani in perditione multorum. Tunc exurgent duo Reges de Syria, & exercitus eorum innumerabiles sicut arena maris, & obtinebunt civitates & regiones Romanorum usque ad Chalcedoniam. Et tunc multa erit sanguinis effusio. Omnia hæc quum reminiscuntur, civitas & gens contremiscunt in eis, & disperdent Orientes. Et post hæc surgent duo Reges de Ægypto, & expugnabunt quatuor Reges, & occident eos, & omnem exercitum eorum, & regnabunt annos tres & menses sex. Et post eos alius rex per C. literam nomine, potens in prælio, qui regnabit annis triginta, & ædificabit templum Deo, & implebit legem, & faciet iudicium propter Deum in terra. Et post eum surget alius Rex qui regnabit paucis temporibus, & expugnabunt, & occident eum. Post hæc vero erit rex per B. nomine, & de B. procedet Rex Audon, & de Audon egredietur A. & de A. procedet A. & de hoc generabitur A. & ipse secundus A. erit bellicosus nimis & præliator. Et de ipso A. nascetur Rex per R. nomine, & de R. nascetur L. & potestatem habebit super decem & novem reges. Et post hæc surget Rex Salicus de Francia per K. nomine: ipse erit magnus & piissimus, potens & misericors, & faciens iustitiam pauperibus. Tanta enim erit in eo virtutis gratia, ut per viam gradientem arborum contra eum inclinentur cacumina. Aqua enim occurrens minime cursum ejus tardabit. Similis autem imperio Romanorum Rex ante non fuit, nec post eum futurus est. Et veniet Rex post eum per L. nomine, & post hoc regnabit L. & post L. triginta, & de L. egredietur A. & ipse A. erit nimis bellicosus & fortis in prælio, & multus erit per terram, sive per aquas, & non dabitur in manibus inimicorum, & morietur exul extra regnum, & in manu Dei anima ejus erit. Tunc exurget Rex per V. nomine, & ex una parte Salicus, & alia Longobardus, & ipse habebit in terra potestatem contra pugnantes, & contra omnes inimicos. Et in diebus illis procedet rex per O. nomine, & erit potentissimus, & fortis, & bonus, & faciet iustitiam pauperibus, & recte iudicabit, & de ipso procedet alius O potentissimus, & erunt sub eo pugnae inter paganos & Christianos, & sanguis Græcorum eorum effundetur, & cor ejus in manu

Dei,

K

Dei, & regnabit annis septem, & de ipsa muliere nascetur Rex per O. nomine: hic erit sanguinarius & facinorosus, & sine fide & veritate, & per ipsum multa erit malitia in terra, & multa sanguinis effusio, & destructæ erunt Ecclesie in ipsius potestate. In aliis namque regionibus tribulationes erunt multæ & prælia. Tunc surget gens contra gentem in Cappadociam, & Pamphyliam captivabunt in illo tempore, eo quod non intravit per ostium in ovile. Hic namque Rex regnabit per annos. Et post eum surget Rex per H. nomine, & in diebus eius pugnae multæ erunt, Syriam expugnabunt, & Pentapolim captivabunt. Ipse enim Rex erit ex genere Longobardorum. Tunc exurget alius Rex Salicus per C. nomine, & expugnet Longobardos, & erunt prælia & pugnae. Ipse autem Salicus erit fortis & potens, & paucis temporibus erit regnum eius. Tunc exurgent Agareni, & tyranni, & captivabunt Tarentum & Barro, & multæ civitates deprædabuntur. Et etiam volentes venire Romam, & non est qui resistat eis, nisi Deus Deorum, & Dominus Dominantium. Tunc venientes Armeni Persidem disperdent, ita ut non recuperentur civitates, quas deprædabunt, & accurrentes ipsi, ponent fossas juxta Orientem, & expugnabunt Romanos, & obtinebunt pacem aliquantisper. Et intrabit Rex Græcorum, vir belligerator in Æpolim, destruet templa idolorum, & veniet locusta & bruchus, & comedent omnes fructus Capadociae & Ciliciæ, ac fame cruciabuntur, & postea non erit amplius. Et consurget Rex Salicus alius, scilicet H vir fortis & belligerator, & indignabuntur contra eum multi vicini & parentes. In diebus illis tradet frater fratrem, & cum sorore commiscebitur, & multa nefanda hominum erunt in terra. Senes cum virginibus cubabunt, & Sacerdotes mali cum deceptis puellis. Episcopi malefactorum sectatores erunt, & fiet effusio sanguinis in terra, & templa Sanctorum polluent. Et erunt in populo fornicationes, immunditiæ, & Sodomiticum scelus, ita ut visio ipsorum in contumelia ejus appareat. Et erunt homines raptores, contumeliosi, odientes justitiam & amantes falsitatem, & judices Roma immutabuntur. Si hodie ad judicandum admittuntur, alio die mutabuntur, propter pecuniam accipiendam, & non judicabunt rectum, sed falsum. Et erunt in diebus illis homines rapaces, cupidi & perjuri, & amantes falsitatem, & destruetur lex & veritas, & fiet terra motus per loca diversa & insulares civitates, & regiones dimergentur. Et erunt per loca pestilentie hominum, & terra ab inimicis desolabitur, & non prævalebit consolari eos vanitas deorum. Postea exurget Rex per L. nomine: & erunt sub illo bella, & xij. annis

* * * *

regna-

regnabit. Et post surget Rex per F. nomine, & veniens obtinebit, & regnabit aliquanto tempore, & veniet Romam, & captivabit eam, & non mortificabitur anima ejus in manu inimicorum ullis diebus vitæ suæ: sed erit bonus & magnus, & faciet justitiam pauperibus, & ipse vivet multo tempore. Post hæc vero surget alius Rex per H. nomine, & de ipso H. procedent duodecim H. & erit de genere Longobardorum & Teuthonicorum, & regnabit per annos centum. Tunc post eum exurget Rex H. nomine, Salicius de Francia. Tunc initium dolorum erit, qualis non fuit ab initio seculi. Et erunt in diebus ipsius multa pugnae & tribulationes multorum, & sanguinis effusio, & terræ motus per civitates & regiones, & terræ multa captivabuntur & non erit qui inimicus resistat; quia Dominus iratus erit in terra. Roma in persecutione & gladio expugnabitur, & erit deprehensa in manu ipsius Regis. Et erunt homines rapaces, cupidi, tyranni, odientes pauperes, opprimentes insontes, & salvantes noxios. Eruntque injusti & nequissimi, & Dominatores exterminii captivabuntur, & non est in terra qui pro eis resistat, & eruat eos propter malitias eorum & cupiditates. Et tunc exurget Rex nomine H. animo constans. H. ille idem constans erit Rex Rom. & Græcorum: hic statura grandis, aspectu decorus, vultu splendidus, atque per singula membrorum lineamenta decenter compositus, & ipsius regnum cxxii. annis terminabitur. In illis ergo diebus erunt divitiæ magnæ, & terra abundanter dabit fructum suum, ita ut tritici modium denario uno venundetur, modium vini denario uno. Et ipse Rex scripturam habebit ante oculos, dicentem: Rex Rom. omne sibi vindicat regnum Christianorum. Omnes ergo insulas & civitates paganorum devastabit, & universa idolorum templa destruet, & omnes paganos ad baptismum convocabit, & per omnia templa crux Christi erigetur. Tunc namque præveniet Ægyptus Æthiopiæ munus dare Deo. Qui vero crucem Jesu Christi non adoraverint, gladio punientur. Et cum completi fuerint cxxij. anni, Judæi convertentur ad Dominum, & erit ab omnibus sepulcrum ejus gloriosum. In diebus illis salvabitur Israel, & habitabit confidenter. In illo tempore surget Princeps iniquitatis de tribu Dan, qui vocabitur Antichristus. Hic erit filius perditionis, caput superbiæ, magister erroris, plenitudo malitiæ, qui subvertet orbem, & faciet prodigia & signa mala per falsas simulationes: deludet autem per artem Magicam multos, ita ut ignis de celo descendere videatur. Et minuuntur anni sicut menses, & menses sicut septimana, & septimana sicut dies, & dies sicut hora. Et exurgent ab Aquilone spurcissimæ gentes, quas Alexander Rex inclusit, Gothi videlicet

licet & Magoth. Hæc duodecim regna, quorum numerus est sicut arena maris. Cum autem audientur hæc, Rex Roman. convocato exercitu debellabitur eos, atque prosternet usque ad internecionem. & postea Rex veniet Hierusalem, & ibi deposito capitis diademate, & omni habitu regali, regnum Christianorum Deo Patri relinquet, & filio ejus Jesu Christo. Et quum cessaverit imperium Romanorum, tunc revelabitur manifeste Antichristus, & sedebit in domo Domini in Hierusalem. Regnante autem eo, egredientur duo clarissimi viri, Helias & Enoch, ad annunciandum eventum Domini, & Antichristus occidet eos, & post dies tres à Domino resuscitabuntur. Tunc erit persecutio magna, qualis non fuit antea, nec postea subsequetur. Abbreviabit autem Dominus dies illos, propter electos, & occidetur virtute Domini Antichristus à Michaelle Archangelo in monte Oliveti. Quumque hæc Sibylla & alia multa Romanis prædiceret futura, quibus etiam signis ad judicandum Dominus venturus est, vaticinando versus intonuit, dicens:

Judicii signum tellus sudore madescet
E cœlo rex adveniet per secla futurus,
Scilicet in carne præsens ut judicet orbem,
Unde Deum cernet, incredulus atque fidelis,
Celsum cum sanctis jam terminus extat in ipso,
Sic animæ cum carne ademet quas judicat ipse,
Cum jacet incultus densis in vepribus orbis,
Rejicient simulacra viri cunctam quoque gazam.
Exuret terras ignis pontumque polumque,
Inquirens tetri portas effringet Averni.
Sanctorum sed enim cunctæ lux libera carni,
Tradentur fontes, æternaque flamma cremabit.
Occultos actus manifestans quisque loquetur,
Secreta atque Deus referabit pectora lucis,
Tunc erit & luctus, stridebunt dentibus omnes
Eripitur solis jubar, & chorus interit astris,
Volvetur cœlum, lunaris splendor obibit,
Dejiciet colles, valles extollet ab imo:
Non erit in rebus hominum sublime vel altum,
Jam æquantur campis montes, & cærula ponti,
Omnia cessabunt, tellus contracta peribit:

**** 2.

Sic

Sic pariter fontes torrentur fluminaque igni ,
Sed tuba per sonitum tristem dimittet ab alto ,
Orbe genus facinus miserum variosque labores ,
Tartareumque chaos , monstrabit terra dehiscens ,
Et coram hoc domino reges sistentur ad unum ,
Recidet è cœlis ignisque & sulphuris amnis.

*Tunc judicabit Dominus secundum uniuscujusque opus , & ibunt impii
in gehennam ignis æterni : justi vero vitæ æternæ præmium recipient , &
cælum novum , & terram novam : & mare non erit. Et regnabit Dominus
cum sanctis in sæcula sæculorum. Amen.*

